



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 8. A Concionatoribus misericordia[m] Dei peccatoribus impensè
inculcandam esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

vita durat; dum gemitus, dum suspiria, dum lachrymæ sunt salutare. Sic patri huic incæstuoso, sic incæstuosæ filia salutare fuerunt, ignemque & Inferni, & Purgatorij extinguere potuerunt. A morte pater iste transijt ad vitam; ab ipsis inferorum portis, hæc filia, ad superos, migravit. Itaque *Non est opus, ut oretis pro ipsa; potius ipsa orabit pro vobis; iam sancta, iamque exemplum, quæ paulò prius fuit scandalum.* Hæc, ad peccatorem, Christus de cælo clamat.

§. VIII.

A Concionatoribus misericordiam Dei peccatoribus impensè inculcandam esse.

Videtur mihi, cum ista voce, ipsa quoque illa beata puella, & hic diuino vir amore confossus contritioneque ipsa extinctus, de cælo, clamare: *Venite, & videte opera Dei: Pl. 65. 4. terribilis in consilijs super filios hominum. Venite, audite, & narrabo, omnes, qui timetis Deum: quanta fecit anima mea.* Atque in primis, vos Concionatores, qui meritò sæpe fulminatis in peccatores, & illis iustitiam iramque diuinam inculcatis; illud etiam sedulò memento, ut homines in spè erigatis, altissimisque vocibus identidem clametis: *Quoniam tu, Pl. 85. 4. Domine, suavis & mitis: & multa misericordia*

dia

die omnibus inuocantibus te. Multi magis se
finunt duci spe, quàm impelli timore. Res
violenta est metus, quæ non diu durat, nisi
amore fulciatur. Amorem conciliat occasio
sperandi. Sperandi maxima & occasio, &
caussa est agnitio diuinæ bonitatis, ob v-
num gemitum, & vnam lachrymulam, mil-
le flagitia condonantis. Hanc, vos Dei præ-
cones extollite; hanc mortalibus ob oculos
ponite: hanc omni arte, omnibus coloribus
exornate. dici nimium non potest, vbi est
infinitum. Non tot desperarent, si scirent,
Deum promptiorem esse ad dandam veniam;
quàm homines ad accipiendam. Verè Deum

S. Augu-
stin. serm.
4. de Na-
tiuit. De-
min. su-
per Ps. 94.
Idem Au-
gustin. in
Psal. 58.

nouit, qui in Deum confidit. *Ille negat Deum,
qui eum peccata dimittere non credit.* Item *Dei
misericordia est, ut peccata nostra dimittat.*
*Nam si vellet pro meritis agere, non inueniret,
nisi quos damnaret.* Denique Dauidem audi-
te: *Deus meus, misericordia mea,* inquit. *Non
inuenit impletus bonis Dei, quid appellaret
Deum suum, nisi misericordiã suam.* O nomen,
sub quo nemini desperandum! *Deus meus,* in-
quit, *misericordia mea.* Hæc beata illa mihi
videtur ad Concionatores, de cælo clamare.
Agite, concionatores, idem clamate ad pec-
catores: vt qui Dauidem secuti sunt peccan-
tem,

tem, sequantur etiam pœnitentem. Esto Bethsabæam vitiârint, esto Vriam occiderint, & adulterium homicidio cumulârint; possunt tamen lachrymis & illam fœditatem, & hunc sanguinẽ emundare, vt multos antecedant, qui sibi de innocentia superbè ipsis applaudunt. *Multi erunt nouissimi primi.* Hoc autem dicebat, vt nec illi torperent, tanquam redire non possent; nec hi præsumerent, tanquam stent immoti. Hoc & Ioannes exclamans aiebat: Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Ne igitur confidamus stantes, sed nobis dicamus: Qui stat, videat, ne cadat. Neque iacentes desperemus, sed dicamus: Nunquid qui cadet, non adijciat, vt resurgat? Nam & Indas prius filius regni erat, & postea factus est gehennæ filius: & multi, postquam in ipsum ascenderunt celi verticem, & in desertis morati sunt, quod paulò torpuerint; supplâti sunt, & ad ipsum malitiæ barathrum denenerunt. Alij rursus illinc ascenderunt in celum, & ex orchestra, ad Angelicam migrâre conuersationem; & tantam virtutem exhibuerunt, vt expulerint demones, & alia multa fecerint signa.

Matt. 19.
30. S.
Chrysoft.
hom. 77.
ad populum.

☩):(o):(☩

Ee

§: IX.